

ditione sententiae in caelis quoque aut soluti sint aut ligati». Cf. notas in t. 1. editorum maurinorum. *Hieronymus* in Eccles. 10. inquit quod si quis infectus a diabolo veneno peccati « tacuerit et non egerit poenitentiam nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister et frater facile ei prodesse non poterunt; si enim erubescat aegrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. *S. Asterius* episc. Amasenus in suavissima oratione de poenitentia, sub finem exhortans peccatores ad sinceram poenitentiam, ait: « Tu, cuius animus aeger est, cur non ad medicum animum properas? cur non ei confitendo morbum ostendis tuum?.... Afflictionis participem et socium sume sacerdotem ut patrem... Audacter ostende illi, quae sunt recondita. Animi arcana tanquam occulta vulnera medico retegge. Ipse et honoris et valetudinis tuae rationem habebit ». *Leo M.* epist. 168.^a ad Episcopos. Campaniae Samnii et Picaeni id unum esse docet contra Apostolicam regulam, ut de singulorum peccatorum genere confessio libello scripto recitetur, statuens iuxta eandem regulam sufficere reatus conscientiarum solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. « Sufficit, inquit, illa confessio, quae primum Deo offertur tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis poenitentium precator accedit ». *Augustinus* hom. 49. intra 50. sive Serm. 392. cuius verba iam superius citavimus, reprehendit eos, qui dicebant se poenitentiam occulte agere, apud Deum qui ipsis ignoscat. Inter sermones Augustini editos a Mai (Nova Biblioth. PP. Tom. 1.) sermo 171 de Poenitentia, in ea verba Psalmi: confiteamur Domino quoniam bonus, habet n. 2... Ad hanc confessionem, Fratres carissimi, festinandum est, quae non labiis tantum, sed corde et operibus impleatur. Neminem vulnus suum pigeat confiteri; quia non potest sine confessione sanari. Apud seculi iudicem publicatum, haec vero occultum crimen interficit.... Nec pudeat aliquem poenitere, quem peccare non puduit; si enim similes nobis homines erubescimus, quid in iudicio faciemus Dei, ubi adstantibus Angelis, praesidente Christo, concilio simul indicante sanctorum, omnia cordis nostri secreta nudanda sunt? Aut quae amentia est cogitare de temporali pudore peccati, et non cogitare de aeterno dolore supplicii? » Cf. et seq. serm. n. 2. *Gregorius M.* hom. 26 in Evangelia docet causas pensandas esse, videndum quae culpa praecessit aut quae sit poenitentia secuta post culpam, et tunc ligandi atque solvendi potestatem exercendam. *Anastasius Sinaita* in Lib. De Sacra Synaxi n. 5. ait fideli: « confitere Christo per Sacerdotes peccata tua. Condemna actiones tuas et ne erubescas. Est enim pudor, qui adduxit peccatum et est pudor, qui gloriam et gratiam parit. Condemna te in conspectu hominum, ut coram angelis totoque mundo

iudex iustificet ». Auctor homiliae 19.^a inter homilias s. *Caesarii Arelatensis* (Migne Tom. 67): « Non solum post poenitentiam ab istis viliis homo servare se debet, sed et ante poenitentiam accipere et confiteri Deo et sacerdoti peccata sua ». Auctor libri de vera et falsa poenitentia inter opera Augustini c. 10. « quem igitur poenitet, omnino poeniteat et dolorem lacrimis ostendat, repraesentet vitam suam Deo per Sacerdotem, praeviat iudicium Dei per confessionem... Erubescencia enim ipsa partem habet remissionis: ex misericordia enim hoc praecepit Dominus ut neminem poeniteret in occulto ». *S. Sophronius hieros.* in serm. περι εξαγγελίων. h. e. de peccatorum confessione, ubi pro singulis peccatis certas poenitentias et poenas constituit, ait n. 1. « quidam rigidiores et in scripturis magis peritos fugiunt Sacerdotes, ut indoctos adeant... sicut expertus medicus pro ratione mali herbas noscit, purgativa, scalpella et coalescentia applicat, ita qui confessiones excipiunt, scire debent quis sit morbus animae etc. ». Testes tandem *Poenitentiales libri* sunt, in quibus confessionis fit mentio, cuiusmodi est ille Ioannis Ieiunatoris Episcopi Constanp. in quo Sacerdos haec iubetur dicere poenitenti: « Spiritualis fili, ego confessionem tuam primario et praecipue non recipio, non tibi absolutionem concedo, sed per me Deus peccatorum tuorum confessionem suscipit, et per nostram vocem horum remissionem largitur: » et in quibus determinatae poenae seu poenitentiae statuuntur imponendae a sacerdotibus poenitenti. Cf. Morini in Appendice operis citati.

Ex his ergo satis constat universalis usus confessionis ab initio ad seculum VII et quidem certis personis, h. e. sacerdotibus factae: ii enim tum frequenter explicite nominantur, tum semper implicite indicantur; indicantur enim ii, qui potestatem habent curandi vulnera animarum, remittendi peccata: porro iam constat quinam hi sint e sententia Patrum (Th. XV).

Quod vero haec praxis habita fuerit ut necessaria pro obtinenda venia, ex eo constat quod ipsa necessaria asseratur. Sane pluribus modis Patres necessitatem asserunt confessionis, sive cum diserte iubent ut confessio peccatorum fiat, sive cum reprehendunt eos, qui ex pudore verentur confiteri, sive cum statuunt conditionem obtinendae a Deo remissionis esse confessionem, ut inter ceteros *Leo Magnus*, inquit epist. 108. ad Theodorum Episc. Foroiul. « Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam vita repararetur aeterna... sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum homo Christus Iesus hanc praepo-

sitis Ecclesiae tradidit potestatem, ut *et confitentibus actionem poenitentiae darent*, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent: » sive cum comparantes peccatorem aegrotum et Sacerdotem medico curamque Sacerdotis medicinae, docent tum implicite tum frequenter explicite quod quemadmodum vulnus ignotum non potest curari, ita neque peccatum quod non manifestatur. Ita citati Origenes, Pacianus, Hieronymus, Asterius. Sive tandem cum inter ea, quae necessaria sunt ut per Sacramentum Poenitentiae remissio peccatorum obtineatur, collocant confessionem, ut libri Poenitentiales. Ergo necessaria credita est confessio. Quod et argumento ex ratione petito licet demonstrare. Nam nisi persuasi fuissent fideles huius necessitatis, nulla fuisset ratio cur huiusmodi praxis valde difficilis semper et ubique vigeret.

Necessariam autem confessionem censuisse Patres ex institutione Christi, liquet ex eo primum, quod cum eam necessariam doceant ad salutem, nunquam alicuius Ecclesiastici praecepti aut humanae consuetudinis mentionem faciant, unde haec necessitas sive obligatio orta sit; quod autem ita simpliciter asseritur necessarium pro obtinendo beneficio, quo solus Deus praestare potest, cuius est conditiones pro eo conferendo statuere, id intelligitur necessarium esse ex divina voluntate. Liquet deinde ex eo quod Patres necessitatem confessionis adstruunt ex ipsa institutione a Christo facta potestatis remittendi et retinendi peccata, qua sacerdotes Christus iudices et medicos constituit animarum. Id enim praestant a) cum declarantes potestatem clavium, in eos illam dicunt exerceri, qui confessi sint sua peccata, ut Leo M. l. c. et Hieronymus in Matth. XVI. (v. pag. 127): b) cum docent confessionem faciendam esse iis, qui potestatem habent remittendi, quia secus vulnera animae curari non possunt, ut iam audivimus: c) cum diserte ad verba Christi provocant, ut Augustinus l. c. « Nemo sibi dicat: occulte ago, apud Deum ago (poenitentiam)... Ergo sine causa dictum est: quae solveritis in terra, soluta erunt in caelo? Ergo sine causa sunt claves datae Ecclesiae Dei? Frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi? » Cf. et Gregorium M. l. c.: d) cum inter necessaria pro exercenda potestate clavium seu pro administrando Sacramento Poenitentiae recensetur confessio, ut in libris poenitentialibus.

Iam vero confessionem debere esse distinctam omnium mortalium peccatorum admissorum post baptismum Traditio testatur. Peccata enim ante baptismum admissa baptismo expiari docent Patres, iidemque docent erga solos fideles potestatem clavium remittendi et retinendi peccata exerceri posse. Porro 1º Augustinus Serm. 331 De

Utilitate agenda poenitentiae, docet primum tres esse actiones poenitentiae usitatas in Ecclesia Dei. Una est, quae novum hominem parturit donec per baptismum fiat omnium peccatorum ablutio. Altera est, quae post baptismum agitur pro quotidianis peccatis c. 8. Tertia est, quae pro illis peccatis subeunda est « *quae legis decalogus continet* ». Tum de hac speciatim haec tradit cc. 7. 9. et 11. « In hac poenitentia maiorem quisque in se severitatem debet exercere, ut a se ipso iudicatus non iudicetur a Domino... Atque ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor... Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suae... iudicet se ipsum homo in istis voluntate dum potest... et cum in se protulerit severissimae medicinae, sed tamen medicinae, sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur... et a praepositis sacrorum accipiat satisfactionis suae modum ». Ergo subiicienda sunt clavibus singula peccata, quorum testis est conscientia. Quod patres rursus docent 2) cum universim, nulla unquam exceptione facta, tradunt peccata admissa revelanda esse Sacerdotibus, haec enim propositio indefinita de omnibus et de singulis valet. Cum 3) dicunt manifestanda esse quoque occulta peccata et cogitationes cordium, ut iam audivimus. Docent id 4) si spectentur argumenta quae proferunt, aiunt enim revelanda esse peccata, quia secus iis adhiberi nequit medicina; atqui nisi singillatim declarentur peccata, nequit iis opportuna medicina adhiberi. Tum necessitatem confessionis demonstrant eo quod Christus potestatem clavium tribuerit Sacerdotibus: porro e sententia ipsorum Patrum ea potestas iudicialis est et ad omnia peccata se extendit et potestas iudicialis ex se requirit distinctam notitiam causae: ergo. Tandem id 5) evidenter liquet ex tot canonibus poenitentialibus, quibus pro singulis peccatis certae poenitentiae statuebantur, qui canones et in secreta Sacramenti administratione adhibendi erant. Illae enim poenitentiae iniungendae a Sacerdotibus supponunt necessario distinctam notitiam criminum habitam a poenitente, ut is posset a praepositis sacrorum accipere satisfactionis suae modum, ut ait Augustinus. Itaque Patres cum necessitatem confessionis praedicabant, eam confessionem cogitabant, quae distincta esset.

Ait s. Thomas in IV. D. 17. quod ante determinationem Ecclesiae sub Innocentio III factam, non indicabatur haeresis doctrina negans necessitatem confessionis. Ceterum iam tum ordinarii Magisterii auctoritate, quo Ecclesia semper docetur et regitur, rem esse quae ad depositum fidei pertinere, satis superque certum erat.

Scholion. Absoluta analysi verborum Christi, quam instituimus Th. VIII. X. XI. et ista, quaerere licet quanta sit certitudo eorum,

quae, praecisione facta a testimonio traditionis, per solam analysim ex verbis Christi colligi possunt. Ioannes enim Iahn in disquisitione, quam super hac re habet (exstat in Appendice operum edit. Tubingae 1821 pag. 292 seqq.), monet quod conclusio de necessitate confessionis non est nisi quaedam conclusio theologica ex verbis Christi: tales vero conclusiones e sententia theologorum non sunt articuli fidei. Porro, addit, cum Ecclesia novos articulos condere non valeat, nequit efficere ut conclusio ea, quae per se non est articulus fidei, evadat articulus fidei.

Respondeo 1^o Qui sic argumentatur, videtur oblitus vim catholicae traditionis. Cum enim totum depositum fidei traditioni contineatur, fieri profecto potest, ut id, quod ex solis sacrae Scripturae verbis est tantum conclusio theologica, immediate contineatur in traditione, quae doceat quoque hunc esse sensum Scripturae, et ita veritas sit fidei credenda.

2^o Cum ex analysi verbi scripti theologus argumentatur, certitudo, quam ipse vi suae demonstrationis vindicare potest conclusioni, est tantum humana; colligit scilicet aliquid esse revelatum, sed ope medii scientifici, quod certitudinem fidei gignere nequit: attamen hac methodo utendum est adversus Protestantes, qui solum postulant ut ex Scripturis hermeneutice demonstretur factum revelationis alicuius veritatis.

His positis respondeo 3^o Certum est verbis Christi contineri doctrinam de potestate facta Ecclesiae remittendi et retinendi fidelibus quaelibet peccata et de necessitate subiectionis ad illam. Id certum est scientificè vi solius analysis, et certum est certitudine fidei propter testificationem Ecclesiae. Constat ex Thesibus VIII. X.

Respondeo 4^o Certum est rursus utraque certitudine ex utroque fonte sacerdotes esse iudices constitutos in exercitio huius potestatis. Liqueat ex th. XI.

Respondeo 5^o Quod tandem sacerdotes sint iudices circa ipsa peccata, et idcirco confessio distincta eorum requiratur, contendimus id quoque scientificè ex solis verbis Christi probari, si ex iis probatur Apostolos institutos fuisse iudices in causis violatis iuris divini, cum potestate poenas idoneas iniungendi. Iudex enim cognoscere debet clare et distincte causam, super quam fert sententiam: cum ergo sententia absolutionis aut retentionis ferenda sit super peccata, haec cognoscenda sunt, nec satis est nosse dispositiones: poenae vero, cum proportionatae esse debeant, exigunt praevertentem notitiam criminum.

THESIS XXXIV.

Ex celebri Nectarii historia adeo nihil colligere possunt haeretici contra catholicum dogma de necessitate confessionis, ut ex ea potius illud magis confirmetur. Neque proficiunt magis haeretici ad s. Ioannem Chrysostomum provocantes, aut ad historiam primorum seculorum, aut tandem ad Scripturas.

I. Quid fecerit Nectarius narrat Socrates L. V. c. 19. quod oportet exponere. « Sub idem tempus presbyteros Ecclesiarum, qui poenitentiae praeerant, placuit abolere; idque ob huiusmodi causam. Postquam Novatiani se ab Ecclesia seiunxissent eo quod cum illis, qui in persecutione deciana lapsi fuerant, communicare nolissent, ex illo tempore Episcopi Poenitentiarium Presbyterum albo ecclesiastico adiecerunt, ut qui post baptismum lapsi essent, coram presbytero ad eam rem constituto delicta confiterentur. Et apud alias quidem sectas haec regula etiam nunc perseverat. Soli vero Homousiani et qui cum illis in fide consentiunt Novatiani presbyterum poenitentiae praepositum reiecerunt. Nam Novatiani ne initio quidem supplementum hoc admiserunt. Homousiani vero, qui nunc Ecclesias obtinent, cum hoc institutum diu retinuissent, tandem Nectarii Episcopi temporibus abrogarunt ob facinus quoddam, quod in Ecclesia commissum fuerat. Mulier quaedam nobilis ad Poenitentiarium Presbyterum accedens delicta post baptismum a se perpetrata singulatim (*κατα μέρος*) confessa erat. Presbyter vero praecepit mulieri ut ieiuniis et orationibus continuis vacaret, quo scilicet una cum delictorum confessione opus etiam poenitentiae ostenderet. Progressu temporis (*ἡ δὲ γυνή προβαίνουσα*, quidam interpretantur: mulier longius in confitendo progressa; sed nec necessaria est haec interpretatio nec cohaeret cum praecedentibus, quae iam absolutam confessionem et impositam satisfactionem significant, eique refragatur Sozomenus, qui idem factum referens (L. VII. c. 16.) narrat peccatum sequens admissum fuisse cum mulier in Ecclesia, adimplendae poenitentiae causa, diutius morabatur; duplex ergo fuit confessio. Cf. Henricum Valesium *ibid.*) mulier aliud facinus confessa est, Ecclesiae videlicet Diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse. Id cum dixisset, Diaconus quidem ab Ecclesia eiectus est, populus vero graviter commoveri cepit. Neque enim ob scelus, quod patratum fuerat, indignabantur, verum etiam eo quod labes haud mediocris atque infamia hoc facto adpersa videbatur Ecclesiae. Cum igitur ob hanc causam ecclesiastici homines dicteriis appeterentur, Eudaeon quidam Episcopo suasit, ut Poenitentiarium quidem presbyterum